Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 165

Quelle:
Copyright:

Nulla diu mundi tenuit veſania natum.
Protinus evaſi religione Minor.

exploditur etiam fabella, *Judaeum* et *Judaeorum* Doctorem fuiſſe, antequam Chriſto nomen daret, quam peperit ejus peritia linguae hebraicae, licet eam non natalibus, aut Scholae cuidam rabbinicae, ſed diligentiae ſuae, librorumque lectioni debuerit. Hic porro Vir, poſtquam a. 1330. *Poſtillas ſuper univerſa Biblia*, vaſtum Opus, compleſſet, a. 1333. praeſens Compendium ſcripſit, cujus initium: *Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis. Eccl. XXXVIII. Scriptura ſacra proprie ſapientia nominatur* &c. Rationibus tribus ſe motum dicit: *Prima eſt quia licet ſcribendo ſuper vetus teſtamentum tales variaciones* (Vulgatae ab hebr. Veritate) *in pluribus locis tetigerim, tamen in hoc opere propono plures ponere et aliquas breues expoſiciones aliquando inſerere. Secunda eſt, quia quamuis ſcribendo ſuper uetus teſtamentum breuiter ſtuduerim quantum potui bono modo, tamen totum opus propter ſui magnitudinem faciliter haberi non poteſt a pauperibus ſtudioſis. Preſens autem opuſculum haberi poterit a quolibet ſtudioſo. Tercia eſt, quia dicte variaciones expedicius uideri poterunt, cum ſimul ſegregatim ab alijs erunt ſcripte.* Itaque omnes Libros V. T. pervadit *Nicolaus* ſuis adnotationibus, et in *Geneſin* quidem ſic orditur: *Primo capitulo. A.* Terra autem erat inanis et vacua, *hebraice*, et terra erat vaſtitas et vacuitas. *Huius litere poſui duplicem expoſitionem in geneſi* &c. Finit vero in *Malachiae C. IV. v. ult.* ſubnectendo quaedam Monita, videlicet, quod nihil hic poſuerit de Libris V. T. qui hebraice non extant; quod in omnibus ſecutus ſit collationem et conſilium Virorum in hebraico peritorum, *cum*, ut ait, *in hac lingua non ſim multum ſed modicum inſtructus*; quod circa voces apud Hebraeos aequivocas communiter ſit ſecutus *Rabi Samuelem, cuius doctrina apud iudeos modernos magis autentica reputatur.* Ad calcem: *Explicit tractatus de differentia — editus a fratre Nicolao de lira de ordine fratrum minorum. Et eſt completus anno domini M° CCCCXX. per Bartholomeum Politz.* Pro *Rabbi Samuele* reſcribo *Salomonem Iſaacidem* vulgo dictum רשי, cujus פירושים in univerſum V. T. habemus, doleoque, non eſſe mihi ad manum, quam rariſſimam eſſe oportet, Libelli noſtri Editionem *Rotomagenſem* apud *Mart. Morin ſ. a.* citatam a *Rich. Simonio* in *Critica Biblioth. Autor. Eccleſiaſt. Dupinii* T. I. p. 354. quae cum unica eſſe videatur, qui eam novis curis repraeſentet, optandus foret.

II. *fol.* 68. p. 2. *Sequitur Diſputatio contra quendam Judeum.* Initium: *Potens ſit exhortari in doctrina ſana* &c. Edita eſt ad calcem *Poſtillarum* Noſtri, et Bibliorum *gloſſator.* et hic in *Codice*